

eundem interim effectum in ruptura arbitraria cum guttis habentes, ut effracto violenter extremo vermiculi longioris apice, totus in pulverem minutissimum sponte suâ dissiliret. Contenti igitur hoc partiali eventu, guttarum centenarium ex altera illa Neostadiensi, si rectè meminimus, officina per hosce Mariæburgenses comparari nobis fecimus, quæ postmodum experimenta sequentia subierunt:

V. Cùm intra scrinium illas aliquandiu asservâssemus Phæn. IV. antequam occasio & destinatum experimentandi tempus advenisset, & sparsas quidem de consilio, petituri deinceps earum aliquot, observavimus totum scrinii loculamentum, latè patens licet, vitreo pulvere undiquaque satis confertim conspersum; argumento evidentissimo, earum unam alteramque interim sponte quasi suâ, saltem citra contactum violentum solidioris alicujus corporis, dissilisse.

VI. Primarium postea experimentum in una & item Phæn. V. altera facturi notavimus obtutu primo statim in plerarumque sive capitibus sive caudis etiam bullulas in unis plures, in aliis pauciores, alibi majores alibi minores, alias profundius intra vitrum demersas alias extimæ superficiei propiores, raro unicas, rarissimè nullas; itemque tuberculos illos, quos *Angli* dudum, & post hos etiam *Montanarius*, animadvertent, circa caudæ capitisque confinia, & quidem in concavitate caudæ ordinariè incurvatæ, e. g. in D. Num. 1. conspicuos, interdum etiam geminatos: Neque tamen ideò diversitatem ullam in effectu primario potuimus animadvertere, quin omnes promiscuè, sive unam bullam haberent, sive plures, sive etiam nullas (uti vermiculi certè per tractûs sæpè satis longos iis prorsus destituuntur, ac dissiliendi virtutem in illis Phæn. VI. non minùs ac in aliis ostendunt) ubi primus apiculus abruptus esset, (quo loco quidem rarò bullulæ vel vesiculæ tales observantur) per totam reliquam suam extensionem in pulverem minutissimum dissilierint, etiamsi capitum imprimis alias